



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XV. Siliquæ semen ex aure octennis pueri post septennium miraculo  
eductum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

XIV.  
Moribunda  
Gandia sa-  
natur.

Thomam Baionam, Febri dudum hectica tabidam, & exhaustam; pronunciauerant medici, restitui nisi miraculo non posse, nocte etiam quadam, accessu doloris vehementi, & cordis palpitatione ad extrema redacta, commendabatur Deo, vt statim obitura. Verum illi succurrit interea, vt vitam ab S. Ignatio peteret, quam & sine mora impetrauit, mutato placidissimum in somnum agone in quo luctabatur, ad diei exortum quieuit, experrecta nec febris, nec morbi prateriti quicquam sibi residuum comperit; prater lateris dolorem exiguum, qui deterfus quoque est illitu olei, quod ante effigiem S. Ignatij Gandia ardebat, vbi hoc gestum est, anno huius seculi primo.

Hypolitam Bartholomasiam, Mutinae in S. Geminiani monialem dirum carcinoma, iam triennium exedebat, atrosque intra nares palato, & faucibus; vultuque deformato, graueolentiam expirabat tam tetram, vt ipsam & sibi fieret intolerabilis. Medicos, & chirurgos inexhausti humoris malignitas, & pertinaciter hians plaga exhausterat, in ferro & igne remedij vna spes, ex duobus enim eiusmodi, quibus manum chirurgus commodaerat aegrotis, alterum aiebat interisse, alterum secando, & vrendo seruatum. Aderat condictus curationi dies, cum aegrotantem soror miserata S. Ignatij potentem manum implorauit, vt & malum informe, & atrox mali remedium ab ea depelleret: virginem adhibet Deo sacram, per quam Deo promittit, se diem sancti praemisso ieiunio quot annis culturam, sacrum curationem illius honori, & appensuram argenteum anathema. Nec fuit pluribus agendum, impetratum tulit quicquid optauerat, pridie quam esset secandum vlcus, sub serum diei, ex palato, & faucibus erupit frustum carnis latum digitos quatuor, duritie cartilaginea, secumque morbum omnem ita penitus abstulit, vt nec igne nec ferro deinceps, nec alio medicamento egerit.

XV.  
Siliqua se-  
men ex aure  
octennis pue-  
ri post septen-  
nium mira-  
culo edu-  
ctum.

Octavius Benedicti Dandoli filius Chiensis octo annorum puer ab colludentibus illusus coeuis, siliqua semen auriculae indidit; spondebant illi per nares reductorum, experturus ipse digito primum, post etiam fuso, quam altissime valet inserit, introque propellit. Sub noctem exoriri dolor, incredescere die insequenti; chirurgi accurrere, vossellas, instrumentaque alia extricando grano admouere, quibus nihil effectum, nisi vt puer cruciatum non ferens in deliquia laboraret. Extra spem igitur sanationis destitutus, prater surditatem qua consecuta est, acerbis identidem doloribus capitis torquebatur. Iam septennium exhibat ab eius mali exordio, cum Societatis ineunda coepit puer desiderio ardere, communicauitque hanc suam mentem cum patre sua conscientiae arbitro, qui surditatem intelligens votis eius sine dubio obstituram, suavit eam rem S. Ignatio commendaret, quem ea domus venerabatur impensius: erat is haud pridem relatus inter sanctos, eiusque tunc festi octiduum agebatur: paruit monenti iuuenis magna voluntate, & pro more illius regionis paucillum gozipij quod S. Ignatij contigerat tabulam, auriculae ingerit. Sed vix domum reuersus tam sauo capitis

capitis dolore cruciari, vt ex eo in delirium subiret. Quod familiares subueriti ne de gozipij vitio aliquo nasceretur, detrahendum auribus putarunt; ac ecce dum trahitur, tot annos sepultum filiquæ semen, gozipium sequitur, humore turgens, & parte altera germinans, secumque omnem capitis dolorem abstrahit, facultate auditus in posterum sana, & integra.

Societatem Laureti Virgo Dei Mater exceperat, cum statim daemones artem omnem mouerunt, vt eam inde expellerent; spectris & strepitu horrendo, habitatione prohibitam. Moueri subinde concussu tam valido solium, vt videretur domus corruere; subinde quasi latronum turba ædes percurrere, ac supellectilem asportare, quæ tota fuscæque ire cernebatur. Noctu vix dari somno locus, nam velut incussio turbine, pandi derepente fenestræ ac fores, lectis stragula, ac lintea detrahi; fœdæ bestię dormientibus prorepentes terrorem iniicere, clamoresque pauidos extorquere. Quos vero hic terror mouebat leuius, eos acerbius vexare. Nam angli iuuenis dum mensæ affidet tam fero impetu daemon latus percussit, vt semianimum humi extenderet. Erat illic Rector Manareus cum aliis tredecim à S. Ignatio missus, qui cum vir esset insigni caritate, suorum magis quam sua incommoda dolebat: vt ergo noctu interquiescerent, multas horas obambulabat eorum cubiculis, quò præstò sibi opem adesse scirent, si qua se poscerent. Accidit autem dum aliis excubat, vt quæ vocem, aut strepitum audiebat, illuc accurreret, quati pulsus ingenti totam domum audit, simul edi fragorem tantum, vt si parietes, & tecta ruinam traherent. Pergit animosè Manareus quo fragor tumultuosius exterebat, cum sentit aduersum accedere, eoque inhorruit, sed cruce se muniens pergere institit, & cernit obuium prodire, igneis oculis, & truci aspectu, ingentis magnitudinis immanem molossum, qui totum intuens, & propius quidem, innoxie tamen, præteriens ter tantum allatruuit; contento, sed obtuso latratu, velut ex obuoluto capite ederetur; præteruicta vero bellua, tremor ædium fragorque conticuit. Inter hæc vigilando, satagendoque fractus Manareus in morbum incidit, ac ne suis deesset ab ægro præsidium, quod à valente perceperant, omnibus edixit, Dei nomine iuberent infestos daemones ad Rectorem adire, & quam sibi ferrent molestiam ad eum deferre, ita suorum quam sui amantior, ad ægritudinem corporis, insultus daemini adiuuixit, qui suam in illum rabiem depromens, haud tamen ab cæteris sese abstinebat. Nocte quadam ineunt somno (quo pridem caruerat) pulsari audit cubiculi fores, suspicatus aliquem de suis quem metus ad se compulisset, intrare iussit: iterato pulsus, ne forte minus auditus esset, inelamauit intraret, nihilo secius pergentem crebrius, & turbidius pulsare, facile diuinavit qui esset pulsator adedò modestus, vt data toties facultate intrandi, vi ea noller, signo itaque crucis obarmans sese; noui ego te, ait, age sis, & Dei nomine facito quicquid tibi per eum licuerit. Vix ea, & velut ab turbine, conclauis ianua & fenestræ pandi, totumque cubiculum intremere,

nec

## XVI.

*Collegium Societatis Laureti ab infestatione daemorum purgatum.*